DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE

VERTIGINE.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JACOBI WITTICHII,

A.L.M. ET PHIL. DOCTORIS, EJUSDEMQUE FACULTATIS, UT ET MATHESEOS PROFESSORIS;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,* & *Nobilissimae* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis ritè & legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

GODEFRIDUS BULLICK,

Delphensis.

Ad diem 21. Octobris 1735. horâ locoque solitis.



CONSULTISSIMO VIRO

D. ARNOLDO BULLICK, J. U. D.

PATRI MEO OPTIMO, INDULGENTISSIMO, OMNI FILIALI AMORE ET OBSEQUIO SEMPER ET UBIQUE COLENDO PROSEQUENDOQUE.

Si *quid est*, Pater Amantissime, *quod humanis mentibus altè inditum sit ab ipsa natura, aut verius a Summo naturæ Conditore Deo Opt. Max. in iis certè numeranda sunt duo hæc, Parentum Cultus, & pro acceptis beneficiis grati animi testificatio. Horum officiorum nulla gens ignara est, nulla expers qualiscunque Religio, nulla ab iis aliena barbaries. Hæc autem cum singula & per se nota & ubique sanctissima habeantur, quam ea vim habere censebimus ubi ambo inter se conjuncta exhibentur animo & suâ jam sponte amanti, & de suavissimis illis officiis ex Divina Lege uberiùs edocto? Quem animum cum mihi beneficio Summi Numinis inesse sentiam,* Colendissime Pater, *non sanè diuturna consultatione opus fuit, ut intelligerem cujus nomini hæ studiorum meorum primitiæ inscribendæ essent. Cui enim post Deum, nisi Tibi, accepta referam & vitam ipsam, & liberalem ac Christianam tum pueritiæ tum adolescentiæ institutionem, & quidquid demum mihi hactenus seu commodum seu utile accidit aut porrò accidere poterit? Tot beneficiorum vicem aut gratiam rependere me nequaquam posse, res ipsa clamat. Sed interim gestit animus vel exiguum munusculum, at magno cum amore, magna cum reverentia, offerre. Sine igitur,* Pater Suavissime, *hasce qualescumque Theses Tibi dicare: quod si pateris, novi*

beneficii loco habebo, spretum non fuisse tantillum obsequium. Unum illud optarem, ut mihi integrum esset in Tuas hic laudes exspatiari, & in Te uno prædicare virum seriò Christianum, civem integrum, Patremfamilias vigilantissimum. Sed vetat pudor, & publica existimatio, dum metuo ne Parentis laudibus studiosè immorando mihi ipsi nimium favere videar, & laudem ipse captare. Hæc ergo vel invitus prætermittens, unum hoc, PATER AMANTISSIME, *contestabor, nihil mihi unquam fore antiquius amore & observantiâ Parentis optimi, nullam gratiorem memoriam quam tot ac talium beneficiorum Tuorum, nullam majorem curam ac diligentiam quam in exquirendis iis quibus aliquid saltem gratiarum tali Patri referre queam, nullum denique votum flagrantius quam ut possim non tam verbis quam rebus ipsis exprimere quanto animi affectu & quo cultu semper esse cupiam*

PATER COLENDISSIME

Tibi deditissimus & ad omnia obsequia paratissimus Filius

GODEFRIDUS BULLICK.

AUCTOR.

DIS-



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE VERTIGINE.

§. I.

De signis, Definitione, sede atque Divisione Vertiginis.



VERTIGO Latinis derivatur a verbo *Vertere*, & *agere.* Græcis autem Δῖνος audit; quæ vox, teste EROTIANO in expositione vocum Hippocraticarum, saltationis genus significat, dum scilicet saltaturus uno tantum pede terræ insisteret, atque in gyrum sese verteret; quæ lusus scena ab inexercitato peracta, mox pœnam vertigine luebat, atque ante ipsius oculos verticosa quædam, & rotabilia circumagi videbantur.

Hæc affectio, vertigo nuncupata, omni quâ poterit sedulitate inquirenda, atque intelligenda venit Medico, qui Enkephali morbos & cognoscere, & curationem suscipere attentaverit; est namque hicce morbus omnium capitalium morborum primus, idque non unico titulo, verùm primus est, tum quoniam levissi-

mus in se, tum quia cura illius respectu cæterorum capitis morborum facillimè absolvitur, tum denique quod omnes cephalici morbi ab hac affectione primordia sortiuntur.

Ut autem mirificum huncce morbum pro dignitate utcunque describam; agam quodcunque valeant humeri; si quid ferre recusent, illud *Tironi* concedendum precor, qui non nisi ut obtemperem *Academiæ* legibus hæc conscribo.

In vertiginis descriptione duplex omnino occurrit methodus; altera quidem quæ a definitione exorditur, tuncque omnia, quæ ad eam spectant, apprimè cognita esse supponuntur. Altera verò est mascula illa Veterum Methodus, quæ a Scholarum tricis libera, castè, & candidè cuncta exponit Phœnomena, quibus enarratis, deductis, atque firmissimè stabilitis, tradit tandem ex iisdem morbi, qui præ manibus est, definitionem. Hanc secundam Methodum initurus, vertiginem a gradu levissimo, ad ultimum usque tradam ita, ut ex memoratis morbi apparitionibus, tandem ejusdem definitionem statuere liceat.

Primum Phœnomenon, sive apparens sensibus nostris signum, est *Rotatio* rerum naturaliter quiescentium. Oculi ut & objecta quiescunt, sed videntur objecta moveri atque rotari.

Dum motus ille apparens semicircularis est, ut plerumque fit, tunc propriè *Vertigo* dicitur; si verò contigerit, ut objecta videantur ex alto deorsum delabi, vel ex infimis sursum adscendere, non vertigo, sed *nutatio* appellatur, quæ græcis κίνησις.

2dum. Est *apparens coloris mutatio* objectorum non mutatorum, qui color cæruleum & viride præ se fert, id est iridis colorem imitatur: unde & Belgæ solent dicere *Het wierd my groen, en blaauw voor d'oogen.* De peristromatibus viridibus flammisque apparentibus conqueruntur.

3tium. Est *vacillatio:* quando sustentantes, atque sustentandi musculi labefactantur, vix est qui se sustineat, signum utique Pathognomicum infirmitatis, quod ad lapsum suâ sponte ducit: unde.

4tum.

4tum. *Metus lapsus.* Hic audacissimus miles, constantissimusque Philosophus timet, atque tremit, enervatur quippe totus homo, neque generositas illius, neque sapientia hujus vel quidquam amplius valere deprehenditur.

5tum. Oboritur *diffidentia & tremor*; atque hoc signo indicatur *primum mobile* vacillare.

6tum. *Visus geminatus.* Objectum licet non nisi unicum, geminatum tamen cernitur: sic filius patri adstans, ut turri quæ deerant reficerent, dixit; videor mihi videre duas turres, quibus prolatis mox præceps actus fuit.

7imum. *Tinnitus, sibilus, atque bombus aurium.* Quod Phœnomenon accuratus ubivis, sine verbositate limpidus, sine superfluo castus ARETÆUS CAPPADOX *de causis, & signis morborum diutur:* lib. 1. cap. 3. his verbis eloquitur: " Auribus
" murmur veluti delabentis cum strepitu fluminis insonat, aut
" tanquam ventus flatu vela percutiens, aut tibiarum fistula-
" rumque cantus, aut veluti stridor plaustri currentis obstre-
" pit".

8vum. Morbo augescente adstant *nausea atque vomitus.* Vide ibidem lit. C. Ut enim nausea & vomitus vertiginem creant, sic vertigo nauseam atque vomitum inducit.

9num. *Lipothymia* subsequitur. Homo sentit pristina animositate se destitui, & deficere.

10mum. Fit σκοτοσ, id est tenebricosæ caligines circum oculos observantur. Sic GALENUS commen. ad Aphor. 17. lib. 4.
" Tenebricosa vertigo, quando res conspectæ videntur circum
" volvi, & sensus visus repentè deperditur, cum ægroti sibi te-
" nebras circumfundi existiment.

11mum. Tandem *lapsus*, utpote Paralysis omnium musculorum arbitrariorum, tragædiam ad finem ducit. Est autem hicce lapsus 1o. Vel cum *anaistesiâ*, id est, sensuum externorum, ut & sæpe internorum ablatione. 2o. Vel cum *acinesia*, id est, immobilitate. 3o. Vel cum *Lipopsychia*; ubi functionibus mentis deletis nullius vel conscii sunt, vel recordantur.

4°. Vel cum *asphyxia*, dum arteriæ haud amplius micant; veluti in vertigine quæ tendit in syncopen, & in mortem.

12mum. Ultimò terminatur vertigo; Vel in *syncopen*; dum non modò sensus, non modò motus, sed & ipse calor vitalis deficit: Homo quasi concisus prosternitur, ut videre est in syncope cordis, *Hart-Vangst*. Vel in *apoplexiam*, tuncque homo subitò omni sensu carens, omni motu arbitrario omnique facultate privatus cadit sine sensu motuque; respiratione, atque pulsu sæpe fortius incitatis. Vel in *parapoplexiam*, id est, voce medica, in levem apoplexiam, ubi sensus quidem sepulti, ita tamen, ut stimulo ignis, vulnerisve &c. sensus nonnunquam redeat. Vel in *Paralysin*, sive resolutionem musculorum, qualiscunque illa fuerit. Vel in *Epilepsiam*, quando homo subitò humi procumbit, amissis sensibus externis internisque, cum concussu violento, involuntario musculorum omnium vel aliquorum reciproco, altè dormit atque proflat toto pectore somnum, tandemque instar hominis sani resurgit.

En initium, progressum, exitum ipsius vertiginis; atque hæc Phœnomena simul sumta dant demum veram certamque vertiginis definitionem; quam si petis, dicam esse: *Rotationem rerum naturaliter quiescentium, cum mutatione colorum objectorum non mutatorum &c.*

Hujus definiti morbi *sedes* locatur in sensorio communi. Non dico *causam*, si integram velis, sed intelligo ultimam illam Affectionem quando vertigo infestat in sensorio communi tragædiam suam peragere: invictas dicti probationes si volueris, En paucas.

1°. Nemo negaverit unquam visum multipliciter affici; Afficitur enim *in motu*, quippe omnia videntur moveri. Afficitur *in colore*; apparent enim colores cœruleo-virides, distinguunturque objecta, nec totum objectum confusè circumvertitur, sed distinctè cernitur. Afficitur ipse oculus, sive mutetur axis visus, sive ipse oculus, sive retina; apparet enim *visus geminatus*, suntque vel duo foci, vel duo objecta in uno foco.

2°. Nemo inficias ibit *auditum* quoque affici, dum unus de tinnitu, sibilo, atque bombo conqueritur; alter verò de mur-

murе

mure delabentis cum strepitu fluminis, vel de vento vela percutiente, vel de fistularum cantu, vel denique de stridore plaustri currentis: atqui veluti non oculus, sed mens videt, non auris, sed mens audit, principatum gerens in aisteterio catholico; sic apparentes objectorum mutationes afficiunt demum memoratum modo locum.

3°. Hoc ipsum docet vacillatio, tremor, resolutio, lapsus; Hisce namque indicatur affici illa pars, quæ affectionibus animæ inservit: atqui hanc voco sensorium commune: Ergo &c.

4o. Vacillant musculi omnes: Ergo afficitur sensorium commune in parte impetum faciente.

5°. Pulcerrimè dixit DURETUS vertiginis causam esse in parte animæ Phantastica, utpote illa mentis facultate, quæ absentes res tanquam præsentes sistit, quæque sensus tum internos, tum externos, ut & motus animales facit; verum limpida ipsius DURETI verba audiamus *in coa. Hipp.* cap. 13. pag. 215. „ De vertiginis natura, & causis hæc fuit, manetque omnium Medicorum firma consensio: quod ea versatur in falsa imagine τῆς φαντασίης cui circumrotari, circumagique videntur, quæ circumcirca sunt, quamvis immota."

Hæc de sede vertiginis suffecerint; ejusdem divisionem aggredior.

Celebris dispertitio est in duas classes, quarum altera vertigo *morbosa*, altera *critica;* hac omissa, de illa dicturus.

Vertigo morbosa dividitur in *Idiopathicam* & *Sympathicam* sive *Deuteropathicam.*

Idiopathica dicitur dum causa vertiginem creans suam figit sedem intra ipsum cranium, afficitque sensorium commune, sic V. C. sit quis optima fruens valitudine, videat nivem densam cadere, conspiciat intentis oculis, vertigine corripietur, & fortè cadet: pono nihil huic deesse, simpliciter motus fit, continuatur, pergit, omnia rotantur, cadit.

Sympathica vero ubi sensorium commune quidem afficitur, sed hærente causa non in cerebro, sed in alio corporis loco. Sic a *Cicuta* (cujus historiam tam eleganter tradidit WEPFERUS) ver-

tigo non Idiopathica, sed sympathica, causa ventriculum infestante.

Visis hisce, mali causas ut contemplemur sponte ducimur.

§. II.

De variis vertiginis causis.

Generalis causarum divisio fit in causas proëgumenas, sive prædisponentes; & in causas procatarticas, sive occasionales. Priores quamdiu solæ non constituunt morbum, sed natæ reddunt corpus aptum ut facilè suscipiat morbum, aliis causis accedentibus. Sic pestis veloci falce demetit; senes, melancholici, hydropici, lentis morbis laborantes bellissimè valent, dum interim flos juventutis, sani, robustique letho traduntur: causa eadem, sed diathesis sive prædispositio tam varium sortis exitum nanciscitur. Posteriores autem prioribus si accesserint, morbus adest: unde axioma traditur: *Nulla causa proëgumena est tota morbi causa, sed debet accedere alia quæ proëgumenam excitet, combinatio morbum facit.* De utrisque hisce causis paucis disserere animus est; ac primò quidem *de causis proëgumenis*, quas hoc ordine propono.

1º. Vertigini obnoxii sunt, quibus fibræ, vasa, & viscera laxa atque debilia; sive hæc debilitas ab inertia virium solidorum in liquida; sive ab alimentis magis tenacibus sua indole, quam virium permutantium in corpore virtus est; sive denique a quacunque humorum jactura nimia, seu evacuatione; sive hæc fuerit periodica, sive diuturnè nimis persistens; neque refert cujusnam tandem naturæ ipsa fuerit, sive per menstrua, sive per hemorrhoides; sive per fonticulos, sive per ulcera &c. vide. WILLIS: de anima brut. cap. 7. pag. 131.

2º. In vertiginem proni sunt, quibus facilis nervorum spirituumque mobilitas: tam exigua, tam subtilis, tam simplex hæc verti-

vertiginis causa ut quidquid egeris assequi non valeas; imo licet assequi possis, extra omnes artis limites res locatur ut hanc facultatem eximas, nisi fortè turbato corpore in quacunque facultate, & nisi mutata cerebri actione; certe res sæpe tam impervia, ut vel optimi etiam medici cespitent, animoque despondeant, hæcque causa sæpissime, & laborantem, & Medicum fatigat, ut priusquam morbus sanari poterit, alteruter alteri tœdio fuerit; sic videas tum viros Hypochondriacos, tum fœminas Hystericas, tum quibus adest diathesis in Epilepsiam. Hisce omnibus ut laxa solida, sic facillimè mobilia liquida; His spiritus infirmior, quam qui possit sustinere motum; His ad minimam mutationem corpus non idem manet. Vide de hisce ARET. CAPP. cap. 5. pag. 1. & cap. 11. pag. 24.

3°. Vertigine facillimè corripiuntur Plethorici, quibus pulcerrimus sanitatis status est, sed & simul periculosissimus, est namque plethora copia boni sanguinis major, quam quæ ferre possit eas mutationes, quæ vitæ inevitabiles accidunt, nisi inducantur morbi. Vel Plethora est a rarefactione liquidorum, Vel denique a nimia transfusione in arterias; in hunc numerum adscriptos vertigo facilè infestat; si enim caput incipiunt habere flammeum, oculos lacrymantes, micantes ad tempora arterias, si splendores, veluti in tenebris apparent; dum ferrum acuitur ad lignum, tunc ex plethora vertigo, ut jam olim observavit DURETUS.

4°. In vertigine proclives, quibus materia olim evacuari consueta nunc sistitur; sanè evacuatio sive naturalis sive præternaturalis periodicè olim facta, si subsistit, non substituta alia, vertiginem creat. Audiamus magni ARETÆI CAPP. enunciata de curat. morb. diutur. lib. 1. cap. 3. lit. C. „ succedit, „ inquit, cephalææ vertigo, & ipsa per se propriis de causis o- „ ritur, si profluvium ab hæmorrhoidibus coercetur, si e nari- „ bus sanguis non effluat, qui prius effluere consueverat, si „ corpus non diffletur aut sudore, aut labore antea fatiga- „ tum."

Sed quid moror, res ipſa exemplis evadet clara, perſpicua, infracta.

1o. Menſtrua in valente virgine ſoluta ſemel, ſi prohibeantur, vertigo adeſt. Vide HIPPOC. pag. 203.

2o. Juvenibus Plethoricis rumpuntur arteriæ narium, adultis autem hæmorrhoides fluunt, ſicque natura ipſa ſuprapondium expellit, quod ſi in actione ſua perturbetur adſtat illico vertigo, luente capite pœnas evacuationis ſuetæ jam ſuppreſſae. vide HIPPOC. in coa. pag. 218. & pag. 434. ut & ARET. CAPP. pag. 118. lit. C. & pag. 54. lit. A.

3o. Materia Catarrhoſa; ſive titulo podagræ cum ſuis ſatellitibus; ſive titulo diſtillationis, arthritidis, (quam veteres a Podagra diſtinxêre); ſive titulo Coryzæ in membrana SCHNEIDERIANA; ſive demum titulo anginæ catarrhoſæ, in multis hominibus certo tempore gignitur, genita ad magnam copiam, ſi non evacuatur, manet in humoribus afficitque caput primario poteritque turbare totum corpus.

4o. Materia ulceroſa, fiſtuloſa, fonticulorum, herpetum, ſcabiei veræ, omniumque efflorefcentiarum cum humiditate, vel ſiccitate, ſi natura quominus illam evacuet impediatur, mala quævis oboriantur neceſſe eſt: ſic videas vertiginoſos infantes, quorum ſi decem a prima infantia hoc mali genere correpti fuerint, novem laborabunt a refrigeratis, atque repercuſſis efflorefcentiis.

Hæ cauſæ proëgumenæ, ſive prædiſponentes ad ipſam vertiginem. Ordo exigit, ut cauſas occaſionales contemplemur, quæ prioribus ſi acceſſerint vertigo tetras ſuas ludit partes.

Hæ cauſæ occaſionales duplices ſunt, vel enim tales quæ in corpore mutant nihil, vel quæ mutando aliquid vertiginem producunt.

Prioris claſſis hæ ſunt:

1o. Gyratio corporum extra nos poſitorum, quæ intentis atque fixis oculis adſpiciuntur. Hæc cauſa ferè ubique tantæ efficaciæ, ut etiam ſaniſſimis corporibus frequenter vertiginem creet; & fere indubitatè corporibus ad vertiginem prædiſpoſitis,

positis: „ capitis & oculorum circumvolutiones atque intentio-
„ nes vertigines adferunt, ARETÆUS CAPP. de curat. morb.
„ diuturnor. cap. 3. lit. A. pag. 120.

2°. *Intentus conſpectus rapidi fluminis ex alto defluentis*, quem qui diu intuetur vertigine capitur. „ Vertiginem aquæ fluxus
„ adfert ARETÆUS CAPP. ibid. cap. 4. pag. 122. lit. E.

3° *Verſatilis rota vel molendina* fixo oculo ſi obſervetur. Vide ARETÆUM CAPP. pag. 1. lit. B. ut & turbinati coni circumacti in orbem; vel & cadentis nivis attenta obſervatio; unde monet ARETÆUS CAPP. „ Ne ullum, qui in orbem volvatur, neque
„ turbinem, qui circumagatur inſpiciat. Eſt enim imbecillior
„ quam ut firmum ſtabiliat ſpiritum, nam ſimul cum circulo
„ vertitur. de curat. morb. diutur: lib. 1. cap. 4. lit. E. pag.
„ 122.

4°. *Concuſſus ſellæ perceptus:* Hoc, quæſo, paradoxum ne dixeris, firmus licet, rem expertus indubitatam fateberis, ſi firmo ſederis loco baſiſque cui inſides diutius concutitur.

5°. *Motus in Rheda præcipuè ſi retrofactus*, maximè ſi in tortuoſis regionis tramitibus, vel aſſiduis itineris flexibus geſtatio fiat: tunc enim vertigines oboriuntur, ut loquitur ARETÆUS CAPP. ibid. cap. 3. pag. 119. lit. E. & ſanè in decima parte hominum hæc cauſa producit vertiginem „ Quia, inquit WILLISIUS de
„ anima brutor. cap. 7 pag. 129. ſpiritus valde fluxiles nimis
„ agitati, tanquam aqua in vitro concuſſa, inordinatè huc,
„ illuc tranſiliunt."

6°. *Agitatio navis* in robuſtiſſimo homine non modo vertiginem, ſed vacillationem talem infert, ut ſeſe nullo etiam modo continere queat, pergitque vertigo per omnes memoratos antea gradus, imo in ſudores algidos atque in ipſam ſyncopen. Haec cauſa tam eſt efficax ut ſui impreſſionem diu relinquat; videmus enim, quibus vertigo ab agitatione in navi, in continente diu ab eâdem veluti perſeverante infeſtari. Vide WILLISIUM loco mox laudato.

7°. *Statio in alto prærupto loco*, maximè si nulla tali in loco adfuerit fultura; sic qui a sublimi monte in vallem conspicit & montem ope angustæ trabis descendere cupit, si clausis oculis, fortè sine lapsu poterit, si vero apertis vertigo metusque arripiunt, insequiturque lapsus. Verum audiamus WILLISIUM qui hisce disertè adstipulatur. de anima brutor. cap. 7. " Intuitus, inquit, ab alto & pontium transitus vertiginem excitant in quantum ab objectis inassuetis, nec non a corporis situ, aut incessu periculoso imaginationi terror injicitur, unde ipsa valde solicita, quo pacto spiritus in nervorum corpora ritè ordinet, ac firmius dirigat eos in cerebri meditullium revocat, adeoque a solito affluxu, & irradiatione pervertit, tumque eorum aciem melius instruere, & certius dirigere satagit, cura nimia in confusionem quandam, ac motum irregularem adigit."

8°. *Rotatio corporis circa idem centrum* quæ quo velocior, eo citius pariet vertiginem: vide ludibundos pueros hoc certaminis genus ineuntes quis eorum uni pedi insistens, queat velocius simulque diutius in gyrum circumagi; si ingeniosus astutè clausis oculis exercitium peregerit, satis diu absque metu vertiginis vel lapsus valebit. (veluti equi claustris ophthalmicis occœcati, in gyrum pergunt) si vero lusûs ignarus certaverit mox corruet vertigine correptus.

Idem esto judicium de capitis, oculorumque circumvolutionibus, quæ dirissimis sæpe vertiginibus plectuntur.

Altera classis causarum occasionalium continet eas quæ mutando aliquid in corpore, vertiginem cient; atque hæ sequentes enumerantur.

1°. Vulnus capitis effundens liquida, sive mox sub Cranio, sive inter duram matrem atque piam, sive intra cerebri ventriculos. En quam limpido, atque aptissimo sermone utatur Magnus, & ubivis venerandus HIPPOCRATES hanc doctrinam ut inculcet de capitis vulneribus Sect. 6. pag. 108. ubi de Cranii fissura, aut collisu dijudices vult, ut inquiras num æger vertigine correptus fuerit, aut tenebræ oculis offusæ, aut alto sopore detentus conciderit. & iterum lib. 5. Epidem. pag. 337.

337. dicit „illi cum caufa vulnerante affufa eft vertigo, & caligo tenebricofa; Supponens utique a liquidi ex vulnere effluxu.

2°. Percuffio capitis fummo impetu facta cerebrum ipfum concutiens; licet hæc fuerit fine humorum effufione, vertiginem nihilominus facit. fic videmus boves obtufo ferro cranium percuffos, durum fi fuerit cranium ad primum ictum procumbere, atque nullus effufus fanguis apparet, verum concuffus produxit vertiginem, titubant, vacillant, cadunt.

3°. Omnis caufa quæ æquabiliffimam Cerebri ipfius expanfionem, vel impedit, vel aufert; quæque ita cerebrum premit ut vertigo infeftet: neque refert, an caufa illa egerit intropremendo cranium per Tlypfin; five offis difformitas per exoftofin cerebrum fpectantem, five effufio fanguinis, Lymphae, puris, ichoris &c.

4°. *A Cephalæa.* Quæcunque demum fuerit caufa in cerebro fixa hærens, five ab humoribus, five a folidis: & iterum five ab humoribus *frigidis* veluti in Leucophlegmaticis, Hydropicis, Phlegmaticis; five ab Humoribus *Calidis* ut in Plethoricis; five ab humoribus *Acribus*, quemadmodum vel in Atrabiliariis, ut ftatuêre Veteres, vel in fcorbuticis, ut defcribit WILLISIUS de vertigine fcorbutica §. 4. Cap. 6. pag. 114. a Cephalæa, inquam, exoritur vertigo, tefte ARETÆO pag. 27. F. & 118. C. Ut & a *Cephalgia*, ubi tamen caufa non fixa, non pertinax: tandem & ab *Hemicrania*, quando alterutra capitis pars afficitur, vertigo poterit evenire. Hi humores intra caput ftabulantes, vertigini anfam præbent.

Accedunt & aliae caufae occafionales, quas brevitatis caufa paucis indicaffe fuffecerit; ex harum numero 1°. eft *Ebrietas*: Canis, Elephas, Equus, homo a liquido cui ineft Alcol titubare, vertigine affici, labi, mori poffunt. Vide WILLIS de anima brut. cap. 7. pag. 129. 2°. *Inanitio nimia* vaforum quaecunque: V. G. multum fanguinis ex naribus profluvium, ut & ingens fanguinis miffio five ex arteria five ex vena; ut & nimius

mius menstruorum, lochiorum, haemorrhoidum &c. fluxus, vertiginem incitat.

3°. *Insolatio*. Cujus mali adeo sollicitè meminêre Veteres, quodque qua poterant sedulitate caput tegendo abigere conati sunt; ni enim fieret, brevi vertigo, & inflammatio in capite, Phrenitis, tristes edebant effectus, idque maximè in sanis Plethoricis, prae ira agitatis corporibus, magnisve curis occupatis &c.

4°. *Exercitatio corporis immodica* vertiginem saepius producere valet, atque vertigo ea de causa nata, pergit saepe per omnes gradus ad vomitum usque.

Visis causis tum praedisponentibus, tum excitantibus Vertiginis *idiopathicae*, jubet ordo ut ad causas excitantes vertiginis *deuteropathicae* transeam; quae causae licet longius distent à cerebro, attamen illud afficiunt pari modo ac si ipsum Cerebrum *Idiopathicè* afficeretur: inter hasce causas praeprimis hae recensentur.

1°. A nervis abdominalibus affectis, cujus causa non quidem semper manifesta, sed haerens in succo nervoso illorum nervorum tristissimos producit effectus, quos cernimus in morbo, qui *Colica pictonum* audit. Adeo mirabilibus sanè torquentur modis, ut vel oculatissimus atque perspicacissimus medicus causam assignare nesciat; hoc unum admirans, quod nervis illis affectis, vertigo mox praesens sit, totaque functio ipsius sensorii communis afficiatur, perturbetur, & quandoque deleatur. idem est de *Cholerae* incremento, ut observavit ARETÆUS pag. 17. lit. E.

2°. Nascitur vertigo vel ab humoribus, vel ab haeterogeneis sub diaphragmate haerentibus, quae vel eo delata, vel ibi genita deprehenduntur; atque in his 1°. Generaliter omnes humores molesti, testante GALENO comment. in Sect. 4. ad aphor. 16. „ Fit, inquit, hoc malum (vertigo) si modo os ventriculi mor- „ detur a molestis humoribus. " 2°. A bile atra, vel flava sive mota, vel fixa. Tristi suo exemplo veritatem hujus assertionis confirmant *Atrabiliarii*, quibus materia tenuissima, liquidissima, mitissima difflata, materies terrestris accumulatur, atque oleo inviscata facit massam quasi piceam, creatque saevas vertigines.

Ne-

Neque *Biliosi* hoc ipsum minus testantur, quibus si bilis tendit deorsum, fit diarrhæa: si autem sursum adscendit, ventriculus ipse mordetur & inde vertigo " Vertigo, inquit, GALENUS, " inprimis a bile. " Vide ibid. Unde frequens vertigo his qui inediam patiuntur, tunc enim, ut testantur HIPPOCRATES, CELSUS, GALENUS, bilis ventriculum petit, quo affecto afficitur cerebrum, & terribilis fit vertigo sæpe in Apoplexiam desinens. Sanè in morbis acutis nil exagitatur magis quam ipsa bilis. 3°. *A pituita* fluctuante atque repente vermium instar in ventriculo; malum non infrequens Leucophlegmaticis senibus. 4°. *Ab ulcere interno.* Quod observatum ut pulcerrimum ita & certissimum nobis reliquit fidelis ARETÆUS CAPP. "Si, inquit, " de curat. morb. diutur. lib. 1. cap. 13. lit. F. pag. 127. ad sto- " machum sursum versus pus rapitur, tunc orietur nausea, o- " dium cibi, vomitus pituitæ, aut bilis, defectus animæ, ver- " tigo usque eo donec pus erumpet." 5°. *A collectione sanguinis in ipso ventriculo;* qua de re ARETÆUS verba faciens ait, "Si " multa materia collecta est, angor animi, vertigoque sequi- " tur: quum materiam vomuerunt, sublevantur." 6°. *A lacte coagulato* haerente in ventriculo. Hæc causa creberrimè in infantibus vertiginem producit, cum colostrum per ventriculi pylorum transire nequit, amisso sero novum accedit colostrum, repletur ventriculus ita, ut nec egredi, nec ingredi vel quidquam possit: ejusmodi infantes lucem fugiunt, oculos dum aperiunt, sæpissimè non modo vertiginosi, sed & Epileptici evadunt; atque causam mali in colostrum debere refundi secta eorum cadavera docuêre, ubi ventriculus colostro acido repletus non levem sanè mali suspicionem exhibuit. 7°. *A Vermibus*, qui post protractum jejunium ventriculi latebras quærunt, tutum petentes domicilium, iter versus ventriculum instituunt, ibique famelici absumunt liquorem nutrititium, atque rependo, ventriculumque vellicando, mordendo, vertiginem, imo Epilepticos insultus sæpe sæpius producunt. 8°. Quodcumque etiam præter memorata corpus hæterogeneum inimicum ventriculo scenam suam vertigine absolvit; sive fuerit lapis, sive acicula,

C sive

five nummus &c. roſerit, ſtimulaveritque ventriculum. Memorabile hanc in rem videſis exemplum apud Cl. Ruyſchium de puero, qui ſtuferum deglutierat, indeque tum vertigine, tum & Epilepſiâ ad mortem uſque cruciabatur. 9°. *A nimia ventriculi repletione* Vertigines heu! quantæ fiunt, ingluviei atque crapulæ ventriculus fert pœnas, diſtenditur ille ultra debitum tonum; arteriæ, venæ, nervi comprimuntur, utraque ipſius ora clauduntur, contenta materia incipit vel putreſcere, vel fermenteſcere, vel rareſcere, augetur ventriculi diſtentio, idque nuſquam ſine vertigine.

En fidelem, ut puto, vertiginis hiſtoriam petitam ex recenſione tum cauſarum prædiſponentium, tum excitantium, ad ſigna ejuſdem vocor, quæ §. ſequenti traditurus. Itaque:

§. III.

De ſignis diagnoſticis, prognoſticis, anamneſticis vertiginis.

Tripartita eſt de ſignis morborum doctrina, quam qui ad amuſſim novit, obſervat, atque ſecundum illam artem medicam exercet, errori vix obnoxius in veritatem tutò intrabit; etenim morbum ipſum per ſuas cauſas noſcet, ejuſdem exitum prædicere poterit, in ejus recordatione non falletur; ſic nullibi dubius, nullibi incertus, nullibi ignarus hærebit. Hæc paulò propius contemplemur, ac 1°. quidem *de ſignis diagnoſticis.*

Certum atque indubitatum eſt pro diverſitate cauſarum, quas memoravi §. 2. oboriri diverſos morbos, qui licet ultimatim erunt iidem, attamen reſpectu cauſarum cenſentur diverſi: omnes in eo convenient adeſſe vertiginem, etiamſi ex diverſis imo quandoque oppoſitis cauſis ortam. Verè medicus erit qui ſigna diagnoſtica non fallacia poſuerit, quæ dupliciter mentem me-

medici instruunt 1°. præsentem morbum ab omni alio distinctum menti offerunt. 2°. Ex diversis morbi speciebus signant, quæ morbi species adsit.

Signa quæ primum punctum absolvunt, sunt sequentia.

1°. *Apparens motus corporum quiescentium;* Qui motus pro ut minor, major, lentior, rapidior fuerit, vertigo ipsa major minorve erit.

2°. *Caligo oculorum*, quæ si densior fuerit, vertigo saeva magis existet, si verò illa benignior, haec levior prodibit.

3°. *Splendores subitanei* interpolati inter caliginem, veluti scintillae igneae, quae rursus magnitudine differunt, quod si maximae, brevi post amaurosis sive cœcitas perfecta fiet, apparente oculo nitido, pulcro & optimo.

4°. *Vacillatio & lapsus;* genuum resolutionem dixit ARETÆUS.

Hæc signa certam dant diagnosim distinguuntque vertiginem ab omni alio morbo. Verum id scivisse minimè sufficit, sed ex recensitis causis debet interstingui atque internosci quaenam sit morbi species, quae prae manibus versatur, id est, ut ad Thema revertar, an sit vertigo *idiopathica*, an autem *Deuteropathica*.

Hoc, inquam, peti debet ex causis cognitis atque antea memoratis, ex iis enim scimus vertiginis idiopathicae causam haerere in ipso Enkephalo; deuteropaticae verò aliunde derivari ut ex fonte ipsumque cerebrum ultimò afficere, illius causam esse vel plenitudinem, vel inanitionem, vel defectum. A plenitudine quidem ut V. G. in Plethoricis: ab inanitione autem, veluti ab evacuatione nimia humorum sive naturalium, sive praeternaturalium, ut sanguinis boni, puris &c. denique a defectu, dum requisiti spiritus minus quam par est generantur, sive obstaculo fuerit senile mucosum, sive aquosus vappidusque sanguis, sive quaecumque demum causa quae in classem causarum frigidarum referri poterit; modò spirituum regeneratio, atque refectio impedita fuerit, orietur vertigo Idiopathica à defectu.

Vertiginis autem deuteropathicaè *Diagnosis* petenda est ex causis ejusdem excitantibus, quas descripsi §. 2. pag. 16. 17. 18.

 Uti

Uti certa atque indubitata ſunt ſigna diagnoſtica vertiginis, non minus anceps ejuſdem prognoſis, quæ petenda ex ſignis diagnoſticis docentibus num idiopathica, an deuteropathica ſit vertigo.

Si idiopathica, generalis ejuſdem prognoſis eſt, quod ſit periculoſa. Mala vertigo ſi capitis ſymptoma eſt, mala quoque ſi cephalææ ſucceſſit, aut ex ea vetuſta ægritudine orta eſt. Sic ARETÆUS capp. de cauſis, & ſign. morb. diuturn. lib. 1. cap. 3. pag. 28.

Si verò deuteropathica, attendendum prorſus eſt, an ipſius cauſæ ſint curabiles, an incurabiles, an facilè, an difficulter curabiles, ut firma fiat prognoſis. Perquirendum quoque eſt, an non occurrant ſimul aliæ functiones læſæ; ſi vitales læſæ magnum ſanè periculum imminet; ſi animales, periculum quoque intentatur, ita tamen ut prius longè magis formidandum ſit; ſi naturales ſpes major affulget.

Signa tandem anamneſtica huc plurimum faciunt: illa enim in animum revocant quæ præceſſêre, adeoque non ſunt niſi recordationes cauſarum, quæ præiverant. Quicunque adæquata aitiologiæ cognitione gaudet, atque perfectam diagnoſim formavit, non eſt quod hæreat dubius ſed ilico audax dicere poterit eſt ex tali vel tali cauſa. Meretur autem rei dignitas ut exemplo illuſtretur: Vertiginem V. G. video, plethoram anteceſſiſſe ſcio, & hanc validum exercitium inſequutum, ſtatim per anamneſin cauſa ipſius vertiginis exponi poterit. Tam pulcra, tam amœna hæc medicinæ pars, ut in arte medica ſummum atque frequentiſſimum obtineat uſum. Hanc rideant ignari, inſulſè dicant: Vetula poterit obſervando, & recordando ſigna colligere, eorumque tempore opportuno meminiſci. Quam falluntur qui talia non verentur proferre, ubi verè magnus medicus qui hanc partem callet, ſapienter dirigit, diligenterque perficit; econtrario vero hanc qui ignorat, non niſi dubia ducitur ſorte, neque multum diſſimilis ancillae, cui obtigerant praeſcripta heri ſui defuncti, quæ de vita humana ludens collegit chartulas dixitque opem implorantibus: *Det* DEUS *bonam ſortem*, & cui ſorte obvene-

venerat chartula, hæc ipſi adminiſtrabatur. Diutius vertiginis ſignis Diagnoſticis, Prognoſticis, Anamneſticis ut immorer, non videtur res, utpote plana ſatis, exigere; igitur vertiginis curationem porro aggredior.

§. IV.

De Vertiginis curatione.

Vertiginis curatio ut feliciter abſolvatur, requiritur omnino ut cuique claſſi propriam curationem adjiciam, unde:

1°. De Vertiginis Idiopathicæ curatione,

2°. De Vertiginis Deuteropathicæ curatione dicam.

Primam cauſam proëgumenam vertiginis idiopathicæ dixi a fibrarum, vaſorum, viſcerumque debilitate.

Haec cauſa ut feliciter curetur, indicatur roboratio fibrarum vaſorum, viſcerumque; quae fiet:

1°. *Corporis exercitatione;* quo enim quis minus utitur exercitio, eo ipſi partes fluidae magis diſſolutae, eo partes ſolidae magis tenerae: viſa res in Henrico IV. Galliarum Rege qui ſolo exercitio ex debili factus robuſtus. Sunt autem varii admodum exercitii gradus, atque prudentiae eſt, ut a leviſſimo exordium fiat, tandemque tranſitus ad exercitium majus. Sic convenit 1°. *geſtatio*, exercitium quod propriè infantibus adhibetur, dum in cunis agitantur; peſſimum dum infans laborat plethora; ſalubre vero dum a debilitate. Hac agitatione omni momento nova fit actio atque reactio ſolidorum in liquida, liquidorum in ſolida. 2°. *Frictio* Haec maximum hoc caſu remedium: haec parva ſi fuerit, venæ premuntur, ſi major arteriae; minor venas exagitat, major arterias atque nervos: mirificus hujus exercitii effectus eſt, ut illud boni praeſtet,

quod per motum musculorum alioqui deberet fieri, scilicet augetur ipsa vis vitalis, quæ hac ratione ad summum gradum usque perduci potest. 3°. *oscillatio*, quæ est in funibus mobilibus agitatio; hanc Medici tempore Neronis invenêre, & habuerunt præstantissimum, quod totam compagem roboret, remedium. 4°. *Vectio* navi, rheda, equo. Hanc in rem vide quæ tradit SYDENHAM pag. 414. " nihil ex omnibus, quæ mihi hactenus " innotuêre, adeo impensè sanguinem, spiritusque fovet, fir- " matque, ac diu multumque singulis ferè diebus *equo vehi* ". Et iterum de equitatione loquens pag. 457. ait " Genus exer- " citii digestiones singulas invigorat firmatque, dum a conti- " nua corporis succussione calor naturalis reaccenditur . . . . . " inde digestionem deperditarum quasi renovatio quaedam, & " è consequenti totius corporis crasis optima " Vide eundem pag. 212. 415. 416. 469.

2°. Cibus sit facilis concoctionis, quique simul plurimum nutrit. Atque primo loco sit *lac*. humanum, asininum, equinum, caprillum, vaccinum debilissimis visceribus laboranti hoc ordine præscribendum monet CL. BOERHAAVE parte 2. Chemiæ pag. 298. " Lac autem fœminæ sanæ, ætate integræ, mo- " tu salubri exercitatæ, victu laudabili utentis . . . . reliqua " superat, si post coctionem in nutrice peractam, potatur. Pro- " ximum est asininum, dein caprinum, ac bubulum, ut tra- " dit idem in mat. med. pag. 1. " Fœminimum quoque præfert ARETÆUS CAPP. pag. 103. lit. D, & de lacte asinino loquens pag. 128. lit. A. dicit. " Bilem non generans, bene nutriens, " in caseum non spissescens, quæ lactis virtus est ". Lac Asininum multis quoque effert HELMONTIUS pag. 213. §. 73. a lactis usu spiritus corroborantur invigoranturque ait Sydenhamus pag. 413. 2o. loco sit *panis triticeus* cum propriis furfuribus ritè fermentatus, biscoctus, vel leviter tostus. Simplex profectò remedium, sed tantæ efficaciæ ut fortè nullum sibi simile sit, si ejus decoctum, gelatina, cremor usu legitimo, atque manu Medica administretur: Vide Mat. Med. CL. BOERHAAVE pag. 2.

si

ſi autem ob rei ſimplicitatem vituperes; vide Remiges in mari mediterraneo, qui fortes vitam pane, & aqua ſuſtentant. 3o. Ovi recentis albumen adhuc tepens dilutum in lactis, & aquæ æqua portione ſine ullo igne adhibito. 4o. jus Carnium paratum ex carne a pinguetudine accuratè repurgata animalis ſani, junioris, exercitati; quod ex Gallinaceo genere paratum præfertur cæteris, vitulinum dein, poſtea ovillum, bubulum denique, & quæ ex permiſtis fiunt, meraciora habentur reliquis. 5o. Vinum florentinum, rubrum acerbum, græcum vi adſtringenti praeditum commendatur: quia & uberrima ſpirituum copia, & roborante fibras virtute praeſtat. Non majus extat remedium, ſi ei intinctus fuerit panis, & omni trihorio V. G. ad dragma II. aſſumitur. Huc quoque referuntur cereviſiae meraciores; ſic Momma Brunsvicena, cui intingitur panis biſcoctus, & aliis, ne deſpiciatur, tegitur. Hoc modo ex mortis limine erepta Domicella Hagana, quae adeo erat debilis, ut lucem vix ferret. Continet Momma illa quaſi quinteſſentiam Tritici, ſi ſumitur nimia copia, morbos creat, ſi juſta mirificè debilitati ſuccurrit, uti a majori igne comburitur, qui a minori blandè caleſcit.

3o. Somnus ſit maturus, in ſuperiori aedium parte, ubi non tanta humiditas, ligna ibidem ſint non picta ut eo facilius exhalationes imbibant. Stragula ſint ſicciſſima, quae res tanti momenti ut aliter vix curentur Rachitici. Veſtis ſit ex lana ſicca ſaepiusque mutata quae vapores imbibat.

Haec de cura prophylactica: ſi autem praeſens modo vertigo, & haec curanda eſt per remedia Therapeutica, in quibus princeps mollis corporis adſtrictio per faſcias. Memorabile hanc in rem eſt exemplum nobiliſſimi Brittanni, cui vertigo a debilitate, qui ſanatus adſtringendo induſium; adſtrictione enim major vis atque robur vaſis conciliatur.

Huc tandem faciunt remedia Pharmaceutica, ſuntque Roborantia, ut & Aromatica. Veluti Cort. Capparis, Tamariſci, lap. hematitis, chalybs, opopanax, galbanum, aloë, myrrha maſtiche, Cinnamomum, Cariophylli, macis, nux muriſtica,

ca, Thymus, origanum, conſerva Roſmarini, Roſarum rubrarum, terra Catechou, Miva Cydoniorum, flor. Centaurii minoris, ſalvia &c. vide mat. med. Cl. Boerhaavii de curatione fibrae debilis & laxae.

2o. Vertiginis cauſa exoritur *a facili nimis ſpirituum mobilitate.* Hujus ut perficiatur curatio, indicatur eorundem facilis raptus cohibitio. Huic ſatisfit diatheſin procreando repertae cauſae oppoſitam: hoc univerſale atque obſcurum dices; non negaverim, attamen Medicus non aliis poterit armis hic uti. Suadeat peregrinationem, ſodalitium, ut fiat ignoratio eorum, quae anſam praebuêre facili Spirituum mobilitati. Per opium fiat Spirituum ſedatio, vel dragm. I. vel II. Syr. diacodii praeſcribantur. Hac methodo, ut conſtitit millenis exemplis, optatus ſubſequitur eventus.

Cura hujus confirmans reponitur in continuatione eorum quae hancce cauſam abigerunt, mutarunt, abſtulerunt. Cui rei ſuffragatur non fallax experientia: viſus quippe eſt homo, cui omnia incaſſum adhibita ſuaſum tandem aquas medicatas ut peteret, obtemperat, iter inſtituit, redit firmus magis, atque ejuſdem praeſcripti continuatione adeo firmatus, ut nullo modo morboſae mobilitati amplius obnoxius fuerit.

3tius. Fons atque origo vertiginis eſt *plethora*, quae ut tollatur, requiritur 1o. Ut praeſentem plethoram, ſi a nimia liquidi boni copia, ſolvas, quod poteris V. S. 2o. Ut impediatur quo minus liquidum rarefactione peccet, id praeſtari poterit tollendo cauſas illas quae motum nimium cohibent, quibus ablatis Plethora hac de cauſa enata feliciter abigetur. 3o. Si Plethora originem debet nimiae ſanguinis transfuſioni in arterias, indicatur, a. Ut arteriae ipſae depleantur, idque ſive applicando fomenta ad nares eo ſcopo ut ibidem rumpatur arteria, ſive alliciendo atque eliciendo per haemorrhoides vel fotas vel irritatas, ſive agendo ſcarificatione, ut olim Ægyptii ſuis agebant cucurbitis, ſive ope hirudinum; ſive denique ipſa Arteriotome. *B*. Ut avertatur motus a capite, determineturque verſus inferiora, quod fiet 1o. ope Epiſpaſticorum plantis

pe-

pedum appositorum, veluti si animalis pars, puta V. G. lienem, plantis pedum applicatur &c. 2°. ope frictionum moderatarum versus inferiora. 3°. huc plurimum faciunt fomenta atque balnea, iis namque venae laxantur, quibus laxatis arteriae facilius deplentur.

Haec de Cura prophylactica Vertiginis a Plethora exortae: Therapeuticè hisce pugnandum erit 1°. sit aeger quietus, in loco obscuro, frigidiusculo, silente. Quodque verbulum pendet quam plurimum. A. Nisi enim quieverit rapietur velocius sanguis, atque oleum igni ministrabitur. Vide Aretaeum Capp. pag. 72. & seq. B. In loco obscuro. Non majus sanè remedium sopiendi vertiginem, quam claudere oculos sicque commercium luminis avertere. Fabrum Vertiginis mutabilitatem visu perceptam dixit ARETÆUS CAPP. C. In loco frigidiusculo; etenim Calore quando sanguis rarescit, pejus inde habent Plethorici, cum effectus idem sit an a liquidi copia, an ab ejusdem rarefactione malum oboriatur. D. loco denique silente; ubi scilicet nullus rumor, nullus strepitus, nullum murmur percipitur. 2°. Victus sit ratione qualitatis admodum tenuis, ratione quantitatis parcus, ne fortè majori copia ventriculus distendatur atque aorta prematur, vel ventriculus ipse nimium incitetur. Idem esto de potu. 3°. Pacati sint animi affectus; hos enim summos in Cerebro excitare motus nemo unquam negaverit, vel enim ipsos videmus in aliis, vel ipsi sentimus. 4°. Vigiliæ, quantum commodè fieri possint, plurima hic præstant. Ut enim somnus effectu suo Caput replet, & ipsa Vertigo modo intentat Apoplexiam, id est somnum perfectum, sic Vigiliæ somno oppositæ Vertiginis causam arcent. 5°. Capitis firmatio fiat; pulvinarcula capiti supponantur, ne vacillando, vel nictitando caput luat pœnas. 6°. Medicamenta sint talia quæ inducunt modica refrigeria, quæ motum sedant, atque liquidi rarefactionem cohibent. In his princeps est Nitrum; quod in lingua deliquescens maxima præstat. Excellens quoque est Tartarus, qui continuo ad pauca grana assumtus, leviter alvum movebit, atque prorsus mirifica efficiet. Præterea succi expressi de berberis: Ribe-

sior: sambuc: cerasor: bene maturorum &c; alvum laxant, refrigerant, urinas movent, furentique nimis motui habenas injiciunt. Qua poterimus sedulitate caveamus hic loci a Cephalicis herbis adeo in Vertigine laudatis summisque encomiis elatis, ut sunt lavendula, mojorana, Rosmarinus, Ruta, salvia, serpillum, Thymus, quæ herbæ ut optima præstant in casu ubi Vertigo causam sortitur a debilitate, sic ubi plethora Vertiginem producit, non remedia, sed venena merentur dici.

Curatio tandem confirmatoria hisce inniti debebit 1°. *Victus* ut tenuior ita & parcior requiritur; uti enim victus plenus Plethoræ mater, ita parcior illam profligat. 2°. *Labor*, qui quidem dum Plethora urget, malos produceret effectus, sed sublatâ antea Plethorâ labor efficit ne denuò illa increscat. Utriusque hujus dicti veritas patescit; sic enim GALENUS de Gymnasticis loquens narrat se fuisse Præfectum eorum qui ludo gladiatorio pro capite demicabant, lautissimè alebantur, depugnaturis autem mittebatur sanguis, ne inciderent insueto motu a Plethora in Apoplexiam. Alterum quoque evidens est, labore enim omnis pinguetudo dissipatur; Videsis equos veredarios, quam sunt pinguetudine non onusti, dum gerunt membra fracta labore, qui stabulis quieti, atque victu gavisi opiparo mirificè impinguescunt, & Plethorâ fere suffocantur. 3°. Huc usui veniunt quæ obæsitatem dissipant, è quorum Catalago pauca memorasse suffecerit. Conveniunt omnia Absinthia, excepto insipido, inter illa optimum est Ponticum, Card. Benedict: qui auget perspirationem in infuso si usurpetur repugnatque Plethorae; centaurium min. marub. alb: Rad. Gentian: scordium palustre &c. Haec autem quando Vertigo a Plethora infestat si incongruè atque inopportunè administrentur, augebitur Vertiginis causa; valent autem quam plurimum si cautè, sanato prius morbo, exhibeantur; eo scopo ne morbus recidivus fiat.

4ta. Causa Vertiginis desumitur a subsistente atque impedita & retenta materia, olim evacuari consueta. Haec causa ut infringatur atque auferatur, requiritur 1°. Ut evacuationis consuetae, nunc suppressae, fiat restitutio; ita tamen ut morbus, ab

eva-

evacuationis retentione timendus, periculosior sit, quam instituenda evacuatio. Imo prudentiae atque sapientiae est, ut, tutò si fieri possit, corpus ab evacuationis lege ac servitute liberetur, avertendo ipsam humorum plenitudinem. 2o. Ut fiat evacuationis substitutio omnium commodissima. Audiamus ARETÆUM CAPP. de curat. morb. diutur. lib. 1. cap. 3." Si ab aliqua humorum suppressione morbus inciderit, usitata excretio movenda est." Memoratae indicationi satisfaciunt setacea, ulcera artificiosa, fonticuli, menstruorum solutio, haemorrhoidum provocatio, suetae haemorrhagiae restitutio &c.

Humores evacuando, corrigendo, derivando curam Therapeuticam absolves, ut in Plethora. Palliabis autem abstinentia, quiete summa, mero fere aquæ usu.

Confirmabis si, ubi æger tuto loco repositus fuerit, eum ita direxeris in omnibus causis tum prædisponentibus, tum excitantibus, atque in VI rebus non naturalibus, & medicamentis, ut priorem statum, quantum possis, avertas.

En historiam curationis vertiginis idiopathicæ juxta causarum ejusdem classim directam. Sequitur ut perpaucis curationem vertiginis Deuteropathicæ indicem, unde:

1o. Si a nervis abdominalibus affectis evenerit vertigo, indicatio pro varietate effectuum ab hac affectione prodeuntium docebit an hoc vel illud sit agendum, atque tunc curatio juxta indicationem variam, varia instituenda erit. Illud autem constare invenimus quod usus gummi asiaticorum, bals: copaibæ, peruviani, Terebinthinæ, succorum ex herbis leniter antiscorbuticis, si fidelis constansque fuerit, morbum hunc radicitus profligaverit. Maximè autem dum frictio abdominis, ut partes inde mollescant; equitatio, exercitium, agricultura, una cum memoratis remediis instituantur.

Cura Therapeutica absolvitur iis, quæ cerebrum mutant grata aversione, hæcque tunc sufficit: sic vertigo hac de causa si fuerit exorta, odoratu sp. sal. ammon: antevertitur, non tollitur quidem causa, sed præcavetur, ne afficiatur cerebrum.

Curatio ubi perfecta fuerit confirmatio ope eorundem perficietur.

2°. Altera vertiginis Deuteropathicæ causa vel ab humoribus, vel ab heterogeneis sub diaphragmate hærentibus. Indicatio est, ut vel enerventur, vel corrigantur, vel expellantur; unde:

1°. Si *ab humore* ventriculi os mordente, in ejusdem subactione vel expulsione absolvetur curatio.

2°. Si *â bile*, hæc vel corrigenda, vel expellenda, sive per vomitum sive per alvum.

3°. Si *a pituita*, hæc impugnanda venit medicamentis, quæ glutinosum spontaneum tollunt:, id est, medicamentis diluentibus, resolventibus, stimulantibus, biliosis, saponaceis. Vide mat. med. præstantissimi HERMANNI BOERHAAVE pag. 26. ad 44.

4°. Si *ab ulcere interno*, tunc teste ARETÆO CAPP. de curat. morb. diutur. lib. 1. cap. 13. " Præcipuum fuerit in aliam partem avertere. Prava enim hæc via est. Quod si pus violentius feratur, omnia facienda sunt, stomachoque succurrendum escis, medicamentis, victusque ratione, sed omnia leniter adhibenda. Medicamentis quidem, ut sinus effringatur, studendum est. Herbam itaque hyssopum cum mulsa potui dato, & marrubii comam, ipsam quoque cum mulsa & succo absinthii . . . dandum est & asininum lac bilem non generans, bene nutriens, in caseum non spissescens . . . ægrotanti gratificandum in cibo & potione . . . meminisse quoque oportet ubi ulcerum radix est." &c.

5°. Si *a collectione sanguinis* in ventriculo ille expellendus, & causa unde originem ducit tollenda.

6°. Si *a lacte coagulato*, illud dissolvendum, viæ lubricandæ, ut locus detur facili expulsioni.

7°. Si *a vermibus*, tunc pugnes medicamentis quæ 1°. vermes necant, 2°. expellunt, 3°. eorum nidum destruunt. Vide mat. med. CL. BOERHAAVII pag. 232. 233. & 234. 235. & 229. ad 231.

8°. Si *ab hæterogeneo* hærente vel in ventriculo vel in intestinis,

nis, non fiet usquam curatio nisi expellatur id, quod naturam perturbando vertiginem creat, quodque ipsa monet, nititurque ut quo possit molimine abigatur, sive id fiat ope vomitorii, sive ope purgantium.

9°. Ultima causa *a nimia ventriculi repletione, ejusque distensione;* hic summa cautela, atque circumspectione ejus depletio tentanda, qua facta tollitur distensio, hac sublata, vertiginis causa enervata atque amota erit.

Absolvi vertiginis historiam, brevitati studui, ne angustos dissertationi præscriptos limites transgrederer. Utinam concinnior quo ad sermonem, limpidiorque foret dictio; quae valui peregi, idque unicè quoniam & debui, & lubens Academiae legibus obtemperare volui: Tironi errores qui occurrerint, ut dentur rogo. Caeterum omnibus & singulis summè Venerandis artis medicinae Professoribus perrennes dico gratias, si quid in celeberrimis Apollinis scientiae studiis profecerim, iisque Viris me nusquam non devinctissimum gratus agnosco.

FINIS.



COROLLARIA.

I.

Non oculus videt, nec auris audit.

II.

Sedes Vertiginis, ut videtur, est in sensorio communi.

III.

Sensorium commune in Vertigine affici potest in omnibus suis facultatibus.

IV.

Sensorium commune in Vertigine affici, ex effectis video, modum ignoro.

V.

Musculorum actio a nervis dependet.

VI.

Quomodo ab affectis nervis abdominalibus vertigo, sæpe nemo assequitur.

VII.

Decantata remedia Cephalica quandoque nocent.